



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

De humili seruitio eius inter fratres. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

4. Alio quoque tempore vocavit ad se sartorem, qui ei tunicā nouam facere debebat, & ait, Magister scis deformem tunicam facere? Qui respondit, Nescio, an bene hoc noui. Dicas tamen mihi Domine, qualem vultis habere? Tunc ait humilis magister Florentius ad sartorem, Facies de isto panno quatuor partes, & ita consuas eas simul sine plicis, ut de facili queam tunicam istā induere, & exuere, & tunc satis bona erit. Ad hanc sartorem, cum admiratione multa respondit: O dilecte mi, qualiter hoc staret? Quare velle bonum pannum destruere? Ego faciem bene, sicut melius conuenit. Tunc humilis & mitis sacerdos ait: Quae cura est de apparatu ad extra? Facias amore Dei planiori modo quopores, sic enim mihi magis placet: nam simplicita me decet habere, ad ædificationem cæterorum. O nobilem Christi sacerdotem, ad humilia semper inclinatum, qui ut Deo amplius placeret, omnem curiositatem amputauit!

CAPUT XIII.

De humili seruitio eius inter fratres.

Lux mundi Christus, ad illuminandum mentes fidelium venit in mondum, prædicans verba vitæ cœlestis, atque per humilitatis suæ exempla, ad amorem sui nominis torpida peccatorum corda præcipue accendit, quæ cunctis per orbem fidelib. imitanda reliquit. Nam talem se Christus in medio discipuloru[m] suorum exhibuit, sicut unum ex ipsis, seruitum pietatis ostendens, & dominiu[m] potestatis non exercens, ut qui eum imitari voluerit, ab eo quoque dignus sit honorari, & super omnia bona in cœlesti regno constitui. Ego (inquit) in medio vestrum sum, sed cuius ministrat. Et iterum, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam pro multis. Hanc autem sanctæ seruitutis doctrinam, humilis seruus Christi Florentius, cum fratribus suis studuit obseruare, persuadens omnibus sibi adhærentibus cuiuscumque essent ætatis, ut per charitatem inuicem servirent, inuicem sua onera portarent, nulla abiecta opera exhorreverentur, sed humilia seruitia libenter exercecerent, illud amplectendo chatius, quod minus contineat honoris, & plus habet laboris & rigoris.

Lucæ 22.
Matt. 20. 2. Mos igitur sanctus, & probabilis apud eos virtus inoleuit, ut quilibet fratum per hebdomadam in coquinæ ministerio staret, & cum omni humilitate ibi coqueret: vel quæ sibi à coco injungebantur, promptè & hilariter adimpleret. Feruebant enim tunc omnes, ad villora opera facienda, siquidem & pro regno Dei laborare, iucunda requies putabantur. Volens ergo bonus pater & dulcis magister Florentius, exemplum bonum præbere subiecit,



Eis , tenuit etiam ipse in coquina vicem suam pro posse . Cui quidam ex vicinis compassione motus , dixit : Cur bone domine versaris in coquin ? Non habes aliquem , qui pro te istud faciat ? Nonne melius esset , quod tu ires ad ecclesiam , & alias coqueret pro te ? Respondit humilis minister Christi Florentius , dicens : Nōnne magis affectare debeo , quod habeam omnium aliorum orationes , quām solummodo meas ? Dum enim ego sum in coquina , omnes alij interim tenentur orare pro me . Maiorem ergo fructum spero consequi de orationibus aliorum , qui sunt in ecclesia , quam si ego solus orarem . Sic ergo tam verbo quām exēplo edificauit vniuersos : non querens quod sibi esset delectabile , sed alijs vtile & exemplare . Quoties autem cum fratribus comedebat , primum ferculum manibus suis eis apposuit , & de hoc plurimum doluit , quia infirmitate cogente refectioni fratrum quotidie interesse non potuit . Quapropter scorsum in coquina cum coco suo solus edebat , habens mensam paruam sobrie pararam : quia solidum cibum , debilitas stomachi non sufferebat . Ego licet indignus ab ipso sēpē inuitatus , mensam eius paraui , & modicum quod perebat de cellario attuli , gaudensque cum multa hilaritate ei ministravi .

C A P V T XIV.

De labore manuum eius pro communi bono.

Optimus in moribus digneque memorandus , inter omnes deuotos deuotissimus Florentius , nunquam ociosus voluit inueniri : sed preciolum tempus fructuose nisus est expendere : cauens omnimodo , quamuis beneficiarius esset , panem suum gratis & absque labore manducare . Quod à venerabili magistro Gerardo didicit & accepit , hoc diligenter obseruavit : cuius lenientia fuit , ut nemo ad congregationem suscipi deberet , nisi secundum beati Pauli dictum manibus laborare vellet . Est namque operatio sancta , ad omnem spiritualem profectum utilissima : per quam carnis lasciuia domatur , & ab euagandi levitate mens dissoluta citius refrenatur . Per hanc ocia nocua tolluntur , & confabulationes friuolae ex otio surgentes , faciliter decurtantur . Occasionē enim loquendi sublata , labor proficiet in manibus : & erit semper dicitur in bonis , qui fuerit operarius fidelis . Per hanc etiam necessitatibus fratrum sapienter prouidetur , & pauperum miserijs copiosius subuenitur . Nam illa elemosyna gratius Deo placet , & clarus lucet , quæ de vultus sudore procedit . & iusto labore qualita reficit indigentes . Igitur ars scribendi libros , quæ clericis melius conuenit , & quietius exerce-

1. Cor. 4.